

120 omnibus his Thesei dulcem praeoptarit amorem,  
 aut ut vecta rati spumosa ad litora Diae  
 venerit, aut ut eam devinctam lumina somno  
 liquerit immemori discedens pectore coniunx?  
 saepe illam perhibent ardenti corde furentem  
 125 clarisonas imo fudisse e pectore voces,  
 ac tum praeruptos tristem conscendere montes,  
 unde aciem pelagi vastos per tenderet aestus,  
 tum tremuli salis adversas procurrere in undas  
 mollia nudatae tollentem tegmina surae,  
 130 atque haec extremis maestam dixisse querelis,  
 frigidulos udo singultus ore cientem:  
 'Sicine me patriis avectam, perfide, ab aris,  
 perfide, deserto liquisti in litore, Theseu?  
 sicine discedens neglecto numine divum  
 135 immemor, a, devota domum periuria portas?  
 nullane res potuit crudelis flectere mentis  
 consilium? tibi nulla fuit clementia praesto,  
 immite ut nostri vellet miserescere pectus?  
 at non haec quondam blanda promissa dedisti  
 140 voce mihi, non haec miserae sperare iubebas,  
 sed conubia laeta, sed optatos hymenaeos:  
 quae cuncta aerii discerpunt irrita venti.  
 nunc iam nulla viro iuranti femina credat,  
 nulla viri speret sermones esse fideles;